AUGUSTINUS. PS. AUGUSTINUS. AMBROSIUS AUTPERTUS
Mitte 12. Jh. Seite 76r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36545
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Incipit Tractatus primus Sancti Augustini de visitacionis gracia ¶ Visitacione infirmorum.

Nepoti meo carissimo morienti extremum valedicturus hesterna die processi. Sed tactus dolore cordis intrinsecus non sine quantulacumque oculorum humectacione vix verbum in aliquid tandem ora singultuosa resolui. Unde nec digna me nec digna se satis proferre potui. Si enim quod omnium est animus non minimo dolore affectus vel acceptarum ipsa verborum attemptacio lacrimarum esset argumentacio. Parcebam itaque verbis ne parcerem lacrimis. Non consolatorias siquidem effundere lacrimas effeminatum est. Porro nullas cum gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus iubeamur et in obeia et in humanitas est. Et lacrimatus est ihesus. Plorabo ergo mi nepos dulcissime ne sim inobediens et inhumanus sive non imitator mei ihesu. Temperabo quoque me a lacrimis ne nimis videar effeminatus. Tu quoque viam universe carnis ingredi festinas amantissime nepos quo visurus es parentes tuos patriarchas sanctos omnium etiam summam beatitudinem. Ad tanti ergo itineris ne deficias in via subsidium grande viaticum tibi est necessarium. In muro civitatis superne apponendus es lapis vivus in cuius edificio non auditur strepitus aut malleus. Hic proferendus est strepitus hic adiciendus est lapidi malleus hic conterendum est